



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Vti nouellus tyro sese in externis obseruantijs Ordinis, & internis exercitijs institutisq[ue] gerere debeat. Epist. X.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

rans vsque
ad mortem.
Philip. a.
Matt. 11.
Gen. 2.

exemplo noster redemptor nos admonet, dicens: *Tollite iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Non potuit Deus perfectius demonstrare, quantum bonum sit obedientia, nisi cum prohibuisset ab ea re, quæ non erat mala: in qua obedientia palmam tenet, sola ibi inobedientia inuenit poenam.

Ioan. Casi.

Volebam hic ex Casiano plura citare: ar tanta se scribendarum sententiarum copia obtulit, vt horrerem. Legatur totus liber de renunciantium institutis: qui nouis religiosis necessarius est iuxta ac vtilissimas, veramq; sui abnegationem perfectè docet. Bernardus denique aded multa de obedientia differt laude, tamq; multa in detestationem propriæ voluntatis, propriæ sensus aut consilij vt nimis foret laboriosum huc omnia eius dicta præclara congerere. Requiritur in Indice in omnia eius opera collecto, quid de obedientia sentiat.

Orationes
debitè vt fiat
soluendè.

Postremo fili hortandus es, vt ea quæ orare debes aut soluere vocaliter, absoluas non perfunctoriè, festinanter, & quasi aliud interea mente agens, sed strenuè cum cæremonijs integris, & diligenter, vt quotiescunque te euagari senseris mente, mox ad attentionem te reuoces. Obserua ne in choro stas neque cantes, neque legas, sed aut aded somniculosus, aut aded distractus sis, vt putes te omnia cum conuentu soluisse, cum ad integros, aut medios Psalmos quandoque ne os quidem moueris. Si animam tuam non vis periculo

Repetenda
vt fiat quæ
non soluuntur
debitè in
precibus Ec-
clesiasticis.

exponi, obserua diligenter ac vigilanter, ne quid à te prætermisum aut male solutum non reperas. Omnia enim quæ non soluis cum conuentu, solus postea teneris legere, aut cum socio. Necessè est enim vt semel integrè soluas, idq; quotidie, quæcunque debes. Itaque fili quæcunque legis aut canis deuotissime cura vt cantes vel legas & si quid neglectum per te fuerit in choro, postea recupera. Studium enim tibi esse debet indefessum deuotè attentèq; soluendè officium diuinum, vt si plus illo nihil feceris boni, saltem hoc ipsum quod debes, bene per te fiat.

Vt tyro Christi in monastica militia nouellus sese in externis obseruantijs ordinis, & internis exercitijs institutisq; verere debeat.

Epistola X.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIUS CARTHVS.

Fratri Henrico Cantuariensi, nouitio Carthusiano ex Vuesalia nato, filio prædilecto salutem.

Morales
quædam in-
stitutiones.
Oculi vt sint
seruandi.

Charissime fili, quantum exteriorem hominem concernit modestia regularis nonnulla in statutis nostris docetur, quæ à magistro tuo, vt cætera omnia, tibi dicentur. Hic quædam, vt in mentem venerint, generalia scribam.

Oculos vbiq; maxime in contentu & inter alios constitutus contineas, euagationem visus & curiositatem explorandi arcendo, vt præter necessaria nil videre gestias. Loquens etiam alicui, aut audiens, oculis demissis & capite paulatim humiliato, religiosam mentem exterioribus moribus ostendas.

Manus vt
sint reuolue-

Manus pendulas & brachia cadentia, seu volantia nunquam teneas: sed stans, loquens ambulansq; manus ante pectus habe compositas.

Inter

OVI
16

Inter loquendum nullum aliud membrum, quam linguam moueas. Ca-
chinnorum reprimas. Ritus sit modestus, non hianti ore effusus.

In loquendo
ve fit disci-
plina tenen-
da.

Loquendo non sis nimis sonorus, nunquam contentiosus. Nullius sermo-
nem interrompas. Si tuus fuerit ab alio interruptus sermo, taceas tu, & des
locum loquenti &c. Nihil pertinaciter affirmes, sed opinatiuè &c. quæ vera
nostri, proferas.

Reuerentiam omnibus facias, humiliando, & nudando caput aliquantu-
lum. Cum præsentibus tamen aut magistro loquens, torum nudes caput,
donec aliter iussus fueris.

Reuerentiã
quibus præ-
standa.

Ambulans non circumspectus, nec quid retro fiat, girato capite explores.
Non accedas ad videndum, quid ibi, vel ibi agatur, struatur, aut tractetur, ni-
si iussus aut vocatus. Nusquam quod te non attinet, aut te non ædificat, ani-
mum applices.

Stans in choro, pedes iunctos habeas, non cancellatos, non crura diuatica-
ta: non pendeas in stallo, veluti sedere cupiens: non ponas caput ad parietem,
quasi locum dormiendi quærens. Et quando stas versa facie ad altare, non ita
incumbas brachijs & cubitis super vno poste, vt posteriora dorsi retro per
diametrum curues sed erectus & alacer stes &c.

In choro vt
fit disciplina
in oram ser-
uanda.

Quotiescunque nudamus capita, non innitimus, siue ad conuentum, siue
ad altare faciem vertamus.

Munditiam in vestibus & omnibus alijs serues, cum simplicitate rusticita-
teq; sancta.

Cum occurrentibus signa leuitatis, & quasi specialis familiaritatis non fa-
cias: sed maturum te exhibeas: vultum tamen floridum, amicabilem, atque
serenum ad omnes habeas.

Leuitas mo-
rum fugien-
da.

Fratribus libenter seruias, nec seruiendo tristitiam exhibeas, ne pœniteat
alium aut erubeat, quod te molestauerit.

Sacrificam libenter iuues: & quicquid alij operari nolunt, tu amplectere:
tredens tibi ad eò hoc seruatum ex singulari eius amicitia, prouidentis tibi
ocasionem suam gratiam cumulatiùs obrinendi.

Pro interiori homine quedam institutio.

Primo omnium charissime fili, necessaria sunt tibi feruor & deuotio,
quibus voluntarius, promptusq; sis ad omnia, quæ ad honorem & be-
neplacitum Dei sunt, atque (quantum hunc feruorem attinet) sit immé-
fitas tibi bonæ voluntatis, id est, nulla mensura, nullus modus, nullus finis.
Porro, quantum ad exercitia, effectus & operationes spectat, huius feruoris
bonæ voluntatis atque deuotionis fit moderatio per discretionem: quam tu
non debes præfigere tibi, sed prior, aut magister tuus. Si cum tepiditate cœpe-
ris & leuitate, nunquam eris bonus monachus, nec postea teporem exnere
poteris vnquam. Nihil tamen singulare facias, nihil attentes nisi consultum
aut iussum aut permissum à priore vel magistro. Nolle libro, nulli deuotio-
ni, non moribus, non ingenio credas, sed imitaris Priori & magistro, & ar-
tillorum vel alterius eorum, cuncta referas: omnia reueles proposita tua, cõ-
silia, tentamenta &c. vt si possibile sit, ne illis quidē vnā cogitationē cales.
Vt alius sis & scitis, nihil discernas: hoc solū tibi bonū videatur, quicquid
Priori aut magistro bonum videbitur: nec aliud velle, sapere, videri, sentire
habeas.

Feruor bo-
næ volunta-
tis quærens
absque mo-
do, atque et-
iam mode-
rat. esse
debet.
Superiorum
confitio
standum.

Deus per superiores loquitur.

habeas, quam ipsorum: nihil proprii consilij, nihil in proprio sensu &c. atque adeo quicquid dixerint tibi, credas à Deo tibi dictum. Et verè ita est: Deus tibi per illos respondebit, tuamq; obedientiam illis tanquam sibi impensam perinde remunerabit. Talem te in vultu, gestibus, verbis, & factis exhibeas erga magistrum & Priorem, vt audeant tibi dicenda dicere, faciendaq; iniungere. Caue ne ita impatiens aut pusillanimis fias, vt nemo tibi aliquem defectum tuum audeat indicare: Ita enim fieret, vt non emendareris, & dispendium patereris animæ atque spiritualis profectus. Diabolus nititur seminare displicentiam inter prælatum & subditum, magistrum & discipulum. Vigila ibi, & caue ne malas cogitationes in cor recipias, ne despicias, ne magistrum errare credas, & amodò non consulendum illum statuas. Ita etiam magis de priore fiat. Nunquam credas, nec tibi persuaderi permittas, quod te non diligant, aut quod bonum tuum non quærant. Malum exemplum non imiteris, neque tu aliquem iudices aut contemnas: sed credas semper peccanti aliquam inesse causam vel necessitatem, qua excusetur apud Deum: tibi verò non esse eandem, ideoq; non licere imitari.

Vt diabolus inter superiores & subditos nitatur excitare displicentiam.

Silentium strictissimè teneas, nec vno verbo illud frangas. Neque enim aliter, quam pro verè necessarijs, duo vel tria licet verba loqui. Si aliter vides ab alijs, noli imitari, sed committe Deo & superioribus.

Ita etiam de custodia cellæ quam nunquam ex eas nisi ad chorum, conuentum, & obedientiam.

Dei mater vt sit honoranda & invocanda.

Quotiescumque intras cellam tuam, primum omnium fit, quod B. Mariam salutes humiliter & flexis genibus: eamq; pro matre habeas, te illi committas, roges vt custodiat te ab omni malo, omni peccato, atque periculo, & dirigat, atq; regat ad perficiendum omne beneplacitum Dei.

Sæpius petas à Deo propter merita matris, virtutes eiusdem, quibus emicans singulariter placuit Deo scilicet humilitatem, castitatem, charitatem, mititatem, obedientiam, patientiam. Has B. Virginis virtutes, sæpius Christo pro te offeras: tunc maxime, quando excessisse te deprehenderit in aliqua harum. Nihilominus certo etiam tempore in die in suppletionem & emendationem defectuum tuorum, Christo offeras virtutes & merita matris.

In cor Iesu vt se quis offerre debeat

Sæpius in die offeras te in cor fidelissimum ac suavissimum. Domini nostri Iesu Christi, obsecrans per amorem eius, vt te suscipias, teneat, possideat, custodiat, regat, conuertat in gloriam suam, secundum omne beneplacitum suum in æternum: nec vnquam te dimittat, sed ipse possideat semper.

Item, vt amorem seculi in te faciat penitus emori, amorem quoque proprium atque omnem alium, qui est extra illum, à te auferat & extinguat roges Deum, vt cor tuum amore sui charitateq; intensissima repleat.

Item ores Christum, vt vitam suam virtuosissimam & passionem cordi suo indelebiter imprimat, & te aliquo modulo secundum beneplacitum suum sibi conformet, ac imitatore sui faciat.

Sancti vt sint honorandi.

Ad sanctos aliquos piè tibi dilectos, certo tempore cor conuertas, nec longa vocali oratione, sed pio aliquo venerentia affectu, suspirio, aut mentali desiderio, aut genuflexione, aut aliquo osculo, etiam in nudum parietem (si imaginem illius sancti non habeas) honores nunc hunc, nunc alium, certa tamen regula ad illos seruata, ne semper fluctues & instabilis sis.

Discas

Discas meditari, & mentaliter orare: quia nobilior est hæc oratio longèq; fructuosior vocali tantum. Quæ tamen ex debito dici debent, perfoluas diligenter, & attentè (quantum potes) id est, scienter aut voluntariè non tractes in corde alia, quam quæ leguntur, aut cantantur, & reuerenter.

Mentis potius quam oris precibus vacandum. Ut erga corpus propriè caste esse quis gerere debeat.

Ita castè te habeas in visu, tactu, &c. erga corpus tuum solus, ac si Prior adesset, exceptis quæ sunt necessaria & inuitabilia: Hocq; propter reuerentiam diuinæ præsentia, & ob venerationem B. virginis Mariæ matris tuæ ac sponsæ. Cogita eam, scilicet Mariam matrem tuam, & multum humiliter cogites te indignum filium eius, quia te posuit in domum suam. Non audeas petere, sed affectes seruenti desiderio, humiliter tamen, vt talem amorem ad se ac fidelitatem tibi impetret à Deo, quo dignetur te sponsum suum facere, vt præ amore eius cunctas phantasias de mulieribus, atque omnibus terrenis rebus detesteris. Idcirco aliquod speciale obsequium quotidie ei offeras: secundùm tamen permissum magistri tui. Non facias aliquid, nisi cum consilio prioris aut magistri tui. Multi loquium, specialem familiaritatem ad hunc, vel illum fratrem vites, quia tentationes inde generantur magnæ. Omnes charitate vna diligas: magis autem Priorem & magistrum tuum. Leuitatem fugias. Serenitatem in vultu teneas. Et siue triste aliquid tibi exhibeatur, siue amicum, ostendas te semper gratum habere, quasi modicum subridendo erga illum, vt charitatem in te & alijs foueas. Nunquam otiosus existas. Inter occupationes hæc magis tibi placeant, quæ afferunt aliquem fructum animæ & meritum, &c. Eiusmodi sunt, quæ non ex propria voluntate suggeruntur, sed quæ ex obedientia, aut charitate fraterna imperantur, item quæ pro communitate sunt, priuatis præferendæ sunt. Item semper curam habeas, vt quantum in te est, in solitudine & silentio viuas. Quando tamen est generale colloquium, non sis singularis, sed esto cum fratribus, præsertim ad aliquantum temporis.

Specialis familiaritas vitanda.

Occupationes quænam præferendæ.

Singularitas fugienda.

Assuecas nolle audire de alijs defectibus: & si non audeas loquentem reprehendere, ostendas triste vultum, vt te inuitum sentiat auditorem, aut introducas aliam materiam, interrogando aut ostendendo aliquid &c. Tutidem de absentibus statuas tibi non loquendum, vt detractioem vitare, & pacem cum fratribus seruare queas.

Quando est comedendum, bibendum, dormiendum, surgendum, nihil aliud eo tempore facias, neglecto eo quod facere teneris, ne gratiam Dei (quæ datur humilibus atque obedientibus) perdas. Omnia tua ad obedientiam, & secundùm obedientiam dirige, & obedientiam ad Dei honorem, id est, vt Deo placeas, exequaris.

Omnia suo facienda tempore.

Vbiunque es inter fratres, in his quæ non sunt contra Deum, contra Statuta, contra obedientiam, semper facias potius voluntatem alienam, quam propriam. Quid enim nocet tibi proprium sensum etiam si melior videatur, relinquere, & alienum sequi, quando longè maxima vtilitas ex huiusmodi abnegatione comparatur, & pax, charitas, humilitas, quies, cordis tranquillitas seruetur? At contra ex contentionibus contradictionibus atque voluntatis propriæ defensione contentiones oriuntur, charitas læditur, & cætera multa mala eueniunt.

Abnegatio proprii sensus quantum proficit.

Quando ergo agnoscis voluntatem fratris tui (exempli gratia) vt librum tu exponas, reponas, ita vel ita lucernam ponas hoc vel illud facias, sine cordis

dis murmure & incunctanter facias. Ita tu habebis pacem, & ille erga te habebit charitatem. Melius est vt tu illi, quam ille tibi obediat. Ignauus mercator est, qui alteri lucrum ostendit, & ipse negligit. Sic tu fili quantum potes mereri, aut proficere in virtute, non negligas.

Nullum librum legas prorsus, nisi consultum à priore aut magistro, & ea quæ legis secundum interpretationem & moderationem eorum discas intelligere. Idem facias in cæteris rebus, vt nihil ex proprio, sed superiorum consilio cuncta facias.

Offensus vt
sit recon-
ciliandus.

Si aliquem per te offensum intelligis, ad petitionem veniæ te humiliter & fratrem iratum reconcilies. Si quispiam reprehenderit te, humiliter respondeas dicendo culpam tuam, & quod libenter te vis emendare. Si tamen aliquis reprehenderet te de obseruantia, obedientia, disciplina, quam fortassis non omnes æque seruarent, noli contendere, sed consule priorem aut magistrum tuum quid faciendum sit, an pro aliorum pace aliquid dimittendum sit quod bonum est, ne singularis appareas. Si consuluerint à bono non desistendum (puta quia debet ita fieri) acquiesce illis etiã si derisum vel displicentiam propterea sustineres: quia duplicem ita faciendo mereberis coronam, pro bono opere vnã, alteram quia aliquid aduersi propter Deum, hoc est propter virtutem, sustines. Dabit etiam Dominus, vt contradicentes postea ædificentur, & vel inuiti probabunt bonum.

Singularitas
quamam vi-
tandã sit.

Alia singularitas est in his, quæ non oportet: & illa est vitanda in publico. Hæc sufficiunt rudimenta pro initio spiritualis vitæ. Cætera post hæc ex lectione libellorum deuotorum: præcipuè autem ex eruditione patris Prioris & magistri tui discas.

Moneo te postremò fili charissime, & per misericordiam Domini nostri Iesu Christi obsecro, vt ita simplicem, tractabilem, humilem, resignatum, obedientem, deuotum, pacificum, obsequiosum, & in officio diuino strenuum te exhibeas, vt Deo honor, animæ tuæ salus, fratribus consolatio, mihi deus gaudium sit, non verecundia in Domino nostro Iesu Christo, Vale.

Homini exteriori, interioriq; reformando quamam sint necessaria. Lectio tyroni commoda quam sit accommodata, libri autores vt quamam illi sint frequentandi, lectio- nis quis debeat fore scopus: orationis mentalis quanta utilitas necessitasq; sit.

Epistola XI.

F. IOANNES IVSTVS LANSPERGIUS CARTHVS.

Dilecto filio suo Godefrido, nouitio feruentet incipere, strenuè conari, feliciterque consummare.

Exteriori at-
que interiori
homini re-
formando
quæ sint ne-
cessaria.
Lectio quam
sit utilis.

Fili Dilecte quemadmodum circa hominis exterioris custodiam necessaria sunt, quam utilia silentium & solitudo: ita circa interiorem ad superna euehendum, oportet summopere, vt lectio, præsertim in principio conuersionis, & oratio mentalis, seu meditatio assint. Lectio, vt discas quid vera sit virtus, quodue vitium: quid denique agendum, quo tendendum, vbiue finiendum sit, quomodoq; quodcunque egeris, in Deum sit ordinandum. Præterea necessaria est, vt discas Dei beneplacitum, quidq; honestum, quidve turpe, aut illicitum sit. postremo, ad hoc